PROPRIUM SANCTORUM
DIŒCESIS
SANCTI HIPPOLYTI

PARS VERNA

Die 15 Martii

S. Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris

Duplex majus

Oratio

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fídei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quǽsumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Clemens María Hófbauer Tassovítii in Morávia natus, a prima ætáte in schola christiánæ perfectiónis erudítus est; magístra potíssimum religiosíssima matre, quæ puérulum post patris óbitum osténsa Christi Dómini e cruce pendéntis imágine sic allocúta fertur: En fili, qui hinc in pósterum tibi futúrus est pater, cura ut per eam, quæ ipsi placet, viam incédas. Adoléscens pistóriam artem dídicit; sed ad majóra se vocári præséntiens cœpit inter laboriósæ artis exercítium ad stúdium incúmbere litterárum. Bis Romam pedes ad límina Apostolórum peregrinátus est, bis étiam rerum cæléstium contemplatióni libérius vacatúrus in erémum secéssit. Verum Deo illum ad altióra vocánte intermíssa litterárum stúdia in Vindobonénsi Universitáte repétiit, navitérque prosecútus est; donec ex punióre fonte sacras disciplínas haustúrus, Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi famíliam singulári Dei providéntia cooptátus est, quam ipsíus ópera in díssitas regiónes propagátum iri sanctus idem Pa-

tum accíperet, addúci non pótuit; et cum ad eum ventitárent permúlti, ut ad Apóstolum álterum, vel pótius Angelum cælo demíssum, non ut Núntium modo Apostólicæ Sedis; nihil ipse ea frequéntia et honóris significatióne commótus, dícere solébat: Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam. Severióre disciplína atque scriptis, quæ plúrima édidit ad mores reformándos, máxime enítuit: et Observántium Famíliam, cui íterum potestáte Vicária præféctus fúerat, óptimis légibus exemplísque constabilítam, sic ampliávit, ut máximum Ordini univérso decus, fidéique increméntum attúlerit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Prædicatióni verbi Dei sédulo incúmbens Itáliam fere univérsam lustrávit, quo in múnere et virtúte sermónis, et miraculórum frequéntia innúmeras prope ánimas in viam salútis redúxit. Eum Martínus quintus ad exstinguéndam Fraticellórum sectam Inquisitórem instítuit; de quibus felíciter triumphántem contra omnes hæréticos generálem Inquisitórem creávit. In terris sanctæ Románæ Ecclésiæ Judáici fǽnoris iniquitátem compréssit. Eugénii quarti auctoritáte, sancto Lauréntio Justiniáno adjutóre et cómite, Jesuatórum causam cognóvit, eorúmque innocéntiam vindicávit. In Oriénte multis óptime constitútis, Armenórum ad Ecclésiæ sinum reductiónem curávit: quæ in Concílio Florentíno, ubi véluti sol quidam fulsit, perfécta est. A Nicoláo quinto contra Judǽos et Saracénos generális Inquisítor in omni Itália constitútus, Romæ Judæórum Magístrum cum sectatóribus quadragínta ad veritátis professiónem redúxit. Idem póntifex, postulánte Friderico tértio Imperatóre, illum Apostólicæ Sedis Núntium in Germániam legávit, ut hæréticos ad cathólicam fidem, et Príncipum ánimos ad concórdiam revocáret. Sexennáli peregrinatióne in Germánia alíisque provínciis Dei glóriam mirífice auxit. Hussítis, Adamítis, Thaborítis Hebræísque innúmeris doctrínæ veritáte ac miraculórum luce ad Ecclésiæ sinum tradúctis. Ægros quam plúrimos sanávit, mutis loquélam, mórtuis vitam restítuit. Flúvios, strato super aquas pállio, cum sóciis trajécit. Martíni quinti óbitum, et Eugénii quarti successiónem, aliáque multa prophético spíritu prædíxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

In território diœcésis quoque sancti Hippólyti, quod tunc ad episcopátum Passaviénsem pertinébat, plures civitátes virtútibus suis illustrávit et tria Ordinis sui monastéria fundávit, Eggenburgénse nimírum, Loysénse ac Sanhippolytánum. In multis Príncipum Germanórum convéntibus expeditiónis in Turcas hortátor díligens et impúlsor fuit. Cum vero Callístus tértius, ipso potíssimum deprecánte, cruce signátos míttere decrevísset; Joánnes fulgóris instar per Pannóniam aliásque províncias volitávit, qua verbo qua lítteris Príncipum ánimos ita ad bellum accéndit, ut brevi míllia Christianórum septuagínta conscrípta sint. Ejus consílio et virtúte potíssimum Taurunénsis victória reláta est, centum ac vigínti Turcárum míllibus partim cæsis, partim fugátis. Cujus victóriæ cum Romam núntius venísset octávo Idus Augústi, idem Callístus ejus diéi memóriæ solémnia Transfiguratiónis Christi Dómini perpétuo consecrávit. His atque áliis præcláre gestis, ex córporis fatigatióne letháli morbo contrácto, Villácum defértur. Ægrótum viri Príncipes plures visitárunt: eósque ipse ad tuéndam christiánam religiónem hortátus, vir apostólicus, et voluntáte Martyr ánimam Deo réddidit, anno salútis millésimo quadringentésimo quinquagésimo sexto. Defúncto exséquiæ in Pannónia et Germánia ac tota Itália per tríduum; Villáci vero, ubi ejus corpus elátum est, per septem dies persolútæ fuérunt. Ejus glóriam post mortem Deus multis miráculis confirmávit: quibus rite probátis, eum Alexánder octávus anno millésimo sexcentésimo nonagésimo in Sanctórum númerum rétulit, et Joánnis nomen formidábile Turcis máxima Urbis celebritáte consecrávit. Leo autem décimus tértius Offícium ejus ac Missam áltero ab ejus canonizatióne sǽculo, ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

rem, non irrídeat; sed pótius, si est grandi caritáte, pro peccátis meis fleat ipse ad te, Patrem ómnium fratrum Christi tui. Ejus corpus, in ecclésia sanctæ Aureæ prius sepúltum, póstea, Martíno quinto summo Pontífice, Romam translátum, in ecclésia sancti Augustíni honorífice cónditum est.

Te Deum laudámus.

Index alphabeticus

	pag.
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex majus. 15 Martii	1*
Floriani Martyris, duplex. 4 Maji	6*
Georgii Martyris, duplex. 24 Aprilis	6*
Joannis a Capistrano Conf., duplex. 28 Martii	3*
Ruperti Ep. et Conf. Commemoratio. 27 Martii	3*

Approbatio

Concordat cum Originalibus.

S. Hippolyti, die 9 Martii 1918

(L. S.) ✠ **Joannes** Episcopus

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 12 Martii 1918

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Fr. Pustet

rens divíno instínctu præsénsit ac palam prænuntiávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Absolúto cum magno spíritus fervóre tirocínio ac présbyter factus in septentrionáles Európæ províncias a Sede Apostólica missus est. Erécto Varsáviæ in Polónia primo suæ Congregatiónis domicílio, et plúribus sibi adjúnctis sóciis, incredíbile est, quam copióso ibi fructu sacerdotália múnera ultra vicénnium expléverit; nihil labóris recúsans, sive ut cathólicos ad bonos mores et pietátis cultum revocáret, sive ut hæréticos et Judǽos ad veram fidem addúceret. Multa étiam ad religiósam juventútis institutiónem prǽstitit. Orphanórum sortem miserátus eréxit hospítium, ubi misérrimos quosque patérna caritáte alébat; visus subínde stipem eórum causa emendicáre, immo nec fáciem ab increpántibus et in se conspuéntibus avértere. Inter has autem curas semper coram Deo ámbulans, Deíparæ Vírgini, cujus Rosárium assídue recitábat, singuláriter devótus, rectus, simplex, húmilis, cunctis affábilis et benígnus, ómnibus velut sanctitátis exémplar júgiter prælúxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Deo soli confísus, plures institúti sui domus váriis in regiónibus eréxit. Ipse vero multas, ob témporum iniquitátem, acerbitátes perpéssus, et e Polónia tandem cum suis expúlsus, secéssit Vindobónam, ubi duódecim postrémis vitæ annis, ad Dei glóriam strénue operári perseverávit. Præter sédulam enim Sanctimoniálium Vírginum curam totus in eo fuit, ut prædicatióne verbi Dei, sacraménti Pœniténtiæ administratióne, quam plúrimas a salúte dévias ánimas Christo lucrifáceret. Quem caritátis ignem, tum sacerdótibus, tum máxime seléctæ júvenum cohórti, quorum complúres suum Congregatióni nomen dedérunt, infúndere adlaborávit. Illud autem indeféssa sua ópera consecútus est, ut languescéntem pópuli fidem catholicúmque spíritum non parum illa ætáte imminútum, corroboráret; dignus proptérea, quem Pius séptimus virum apostólicum, Vindobonénsis cleri decus, Ecclesiǽque có-

lumen appelláret. Méritis tandem plenus, et prodigiórum aliorúmque cæléstium charísmatum múnere illústris, prope septuagenárius obdormívit in Dómino, Idibus Mártiis, anno millésimo octingentésimo vigésimo. Eum Leo décimus tértius, miráculis clarum, Beatórum catálogo, Pius vero décimus novis fulgéntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Nolíte timére, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

Die 27 Martii

Commemoratio

S. Ruperti Ep. et Conf.

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Rupérti Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Die 28 Martii

S. Joannis a Capistrano

Confessoris

Duplex

Omnia ut in Breviario die 28 Martii, præter sequentes Lectiones II Nocturni.

In II Nocturno

Lectio iv

Joánnes Capistráni in Marsis, patre Germáno nóbili, et matre ibídem ex honésta família ortus est. Perúsium studiórum causa missus, in christiánis et liberálibus disciplínis ádeo profécit, ut ob egrégiam juris sciéntiam áliquot civitátibus a Neápolis Rege Ladisláo præféctus fúerit: quarum rempúblicam sanctíssime gessit. Perúsii dum perturbátis rebus tranquillitátem revocáre studet, cápitur ipse, et in víncula conjícitur: in quibus hómine Franciscáno sibi apparénte et ad sánctius ministérium vocánte, deínde coróna clericáli accépta, inter Fratres Minóres Observántes, post áspera constántiæ experiménta, cooptátus est. In divínis lítteris magístrum hábuit sanctum Bernardínum Senénsem, cujus et virtútis exémpla, in cultu potíssimum sanctíssimi nóminis Jesu ac Deíparæ propagándo, egrégie est imitátus, et mórtui glóriam assídue curávit. Vir profundíssimæ humilitátis, ut Aquilánum Episcopá-

Die 24 Aprilis

S. Georgii Martyris

Duplex

Omnia ut in Breviario die 23 Aprilis.

Die 4 Maji

S. Floriani Martyris

Duplex

Oratio

Deus, qui nos beáti Floriáni Mártyris tui solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus gloriósum triúmphum venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adipísci mereámur in cælis. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

Si vero Lectiones de Scriptura non habeantur, dicuntur Lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Floriánus martyr passus est Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, persecutióne décima eáque última. Cum enim audísset, quadragínta mílites, qui sub ejus signis aliquámdiu stipéndia merébant, Lauréacum Nórici martýrii causa ablegátos, ac ibi váriis torméntis consúmptos esse, festíne ad illud óppidum se cóntulit, turpe putans, veteránum in tam pulchra victória a tirónibus vinci. Comprehénsus sístitur Aquilíno Præfécto. Qui cum in confessióne Jesu Christi constánter perseveráret, fústibus Præfécti jussu semel atque íterum cæditur; in scápulis vero deínde ferro acúto gráviter verberátur. Ad extrémum saxo ad collum appénso in flúvium Anasum déjici jubétur.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Lectio v

Gaudens ibat a conspéctu júdicis Floriánus. Ad pontem ubi venit, ímpetrat oratiónis tempus, in qua cum tota hora commorarétur, audácior quidam accúrrit, ac mártyrem in flúvium dejécit, in quem conféstim óccidit calígo et ténebræ. Sed ecce Dei servis insérviunt ómnia: depórtat flúvius Sancti corpus, et ad saxum expónit. Míttitur a Deo inusitátæ magnitúdinis áquila, quæ corpus Sancti ab omni protéxit injúria. Appáret demum in somnis piæ cuidam mulíeri Valériæ, ac ut corpus suum condat ádmonet. Romam póstea transfértur, ac cum princípibus Diáconis Stéphano et Lauréntio collocátur magno orbis solátio ac præ-

sídio; nam ejus advéntu omnis barbarórum furor, qui tunc Urbem et univérsam Itáliam vexábat, resédit, paxque optáta restitúta est.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi

Tandem anno Dómini millésimo centésimo octogésimo tértio Casimírus, bello et pace clarus Polóniæ princeps, una cum Gedeóne, epíscopo Cracoviénsi, ad Lúcium tértium Summum Pontíficem mittunt, precántes, ut illis alicújus e sanctis Martýribus ossa impertiátur, qui genti et urbi contra Prussos aliásque bárbaras gentes pro muro et vallo essent. Mittúntur ígitur per epíscopum Metinénsem sacra ossa. Gens tota cum rege suo ad septem milliária tanto hóspiti óbviam effúsa pródiit. Depónitur honorífice Martyr in templo a Casimíro exstrúcto; pars córporis in primárium templum deféртur, ac in marmórea altári inclúditur. Et sicut Jerosólyma Stéphano, Roma Lauréntio, ita suo gaudet Polónia Floriáno.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangel. Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco.

Pro S. Monica Vidua:

Lectio ix

Mónica, sancti Augustíni piíssima mater, uxórum et viduárum exémplar, fílium Manichǽum Mediolánum secúta, postquam assíduis orationibus, lácrimis et jejúniis, ope Ambrósii epíscopi, eum Christo lucrifécit, cum ipso in Africam rédiens, ad Ostia Tiberína in febrim íncidit, et nono die placidíssime óbiit. De cujus morte mærens fílius dísserens subdit: Neque enim decére arbitrabámur funus illud quéstubus lacrimósis gemitibúsque celebráre, quia illa nec mísere, nec omníno moriebátur: hoc et documéntis morum ejus, et fide non ficta rationibúsque certis tenebámus. Atque inde paulátim reducébam in prístinum sensum ancíllam tuam, conversatiónémque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morígeram, qua súbito destitútus sum; et líbuit flere de illa et pro illa. Et si quis peccátum invénerit flevísse me matrem óculis meis mórtuam, quæ me multos annos fléverat, ut óculis suis víve-

PROPRIUM SANCTORUM

DIŒCESIS

SANCTI HIPPOLYTI

PARS HIEMALIS

Die 27 Novembris

S. Virgilii

Episcopi et Confessoris

Simplex

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Virgílii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Lectio iii

Virgílius, in Hibérnia nóbili génere ortus, ab infántia litterárum stúdium cum omni pietátis offício sédulo conjúngens, cunctos ad sui admiratiónem traducébat. In Fránciam deínde ad increméntum fídei proféctus, Pipíno regi caríssimus fuit. Cumque jam virtúte et sciéntia fulgens, tamquam lucérna ardens et lucens candelábro imponéndus viderétur, Salisburgénsis Ecclésiæ epíscopus creátur; quo in múnere táliter se gessit, ut óptimi paréntis loco ab ómnibus haberétur. Basílicam Salisburgénsem a fundaméntis magnis expénsis, nec sine miráculo exstrúxit (cum non plus pecuniárum e pelvi ad solvéndam mercédem expósita operárii possent accípere, quam cujúsque labor et ópera postulábat) ac in eam sancti Rupérti antecessóris sui relíquias honorífice tránstulit. Virgílius tandem assíduis labóribus senióque conféctus, cum Ecclésiam sibi créditam summa cum pietátis laude paríque animárum fructu administrásset, misso in Caríntiam Modésto, exímia sanctitáte epíscopo, in cæli sedes recípitur. Quem miráculis clarum Gregórius nonus in Sanctórum númerum rétulit. Ejus corpus in ecclésia Salisburgénsi a se constrúcta honoríficе asservátur.

Te Deum laudámus.

Centuriatóres Magdeburgénses plura egrégie conscrípsit: et Summam doctrínæ christiánæ, theologórum judício et público usu comprobátam, aliáque ad rudiórum institutiónem aptíssima in vulgus édidit. A sancto Ignátio Germánicæ provínciæ moderándæ præféctus, domos et collégia multis in locis cóndidit, et evangélicos operários in omnem Germániam misit ad erróres stírpitus evelléndos, serendámque pietátem. Quam ob rem hæreticórum málleus et Germániæ apóstolus appellátus, et plane dignus hábitus est, qui ad tutándam in Germánia religiónem datus divínitus putarétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Inter hæc precatióne crebra et assídua rerum supernárum commentatióne Deo se conjúngere sólitus erat: quin étiam noctes sæpe íntegras perfúsus lácrimis et abdúcto a sénsibus ánimo oratióni dabat. A viris princípibus et a quátuor summis Pontifícibus magno in honóre hábitus, ádeo de se demísse sentiébat, ut se ómnium mínimum et díceret et habéret. Viennénsem episcopátum semel, íterum ac tértio recusávit; nec nisi ægérrime addúci pótuit, ut illíus Ecclésiæ procuratiónem per annum exercéret. Moderatóribus suis obsequentíssimus, parátus erat ad ipsórum nutum ómnia relínquere, aut ággredi, étiam cum valetúdinis et vitæ perículo. Virginitátem, quam adoléscens Deo vóverat, voluntária sui ipsíus coërcitióne perpétuo sepsit. Demum Fribúrgi Helvetiórum, ubi plúrimum pro Dei glória et salúte animárum desudáverat, migrávit ad Deum, duodécimo Kaléndas Januárii, anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ætátis suæ séptimo supra septuagésimum. Mórtuo tamquam parénti público, cívitas univérsa concúrsu prope incredíbili et multis lácrimis parentávit. Sepúlchrum ejus prodigiórum fama duóbus ámplius sǽculis tota Germánia incláruit: e quibus quátuor rite probátis, Pius nonus Póntifex máximus strenuíssimo cathólicæ veritátis propugnatóri cǽlitum Beatórum honóres decrévit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Nolíte timére, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

Die 19 Januarii

(d. a. ex 8 Januarii)

S. Severini Abbatis

Duplex

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Severíni Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Severínus, defúncto Attila, ex Oriéntis pártibus véniens, in Nórici Ripénsis et Pannóniæ confínio monásticæ vitæ institútum sanctíssime cóluit. Sensit ejus opem tam in famis quam hóstium perículo Faviána cívitas, nunc Viénna Austriæ dicta; ubi erécto extra muros monastério frequens fuit: nec ejus beneficiórum Passaviénses expértes fuére, apud quos, pósita ad Bóitrum trans Œnum cella, cum paucis mónachis aliquámdiu commorátus est. Dénique usque ádeo ejus apud Deum mérita, et oratiónum vis incláruit, ut multa eum óppida et civitátes afflíctis rebus súpplices invitárint, confísæ, ut re probátum est, ejus Patrocínio ab inféstis hóstium incursiónibus et cládibus se tutas fore.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Multa Deo reveláNte occúlta cognóvit, multa prophético spíritu futúra prædíxit, ac impendéntia mala pœniténtiæ ac pietátis opéribus avértere, exémplo et verbis dócuit; multis deníque ad illum confugiéntibus ægritúdinum étiam desperatárum sanitátem a Deo impetrávit. Corpus assíduis jejúniis in servitútem rédigens, nullis étiam frigidíssima híeme calceaméntis, nec álio strato, quam cilicíno supra paviméntum utebátur hábitu, quem gestábat numquam depósito. Admirábilem hanc vitæ ratiónem ánimi demíssio præsértim commendábat, dum se súaque despíciens, aliórum preces étiam cum lácrimis expetébat. Precatióni rerúmque divinárum contemplatióni impénse déditus, ut libérius Deo vacáret, hóminum frequéntiam sæpe fúgiens, semóta loca petívit: unde tamen divínitus ad aliórum utilitátem, quorum mira caritáte flagrábat, evocabátur. Sed ut oblátum epíscopi munus suscíperet, nullis précibus addúci pótuit.

℟. Amávit eum Dóminus,

Index alphabeticus

	pag.
Petri Canisii Conf., duplex. 22 Dec.	2*
Severini Abbatis, duplex. 19 Jan.	5*
Valentini Ep. et Conf., simplex. 28 Nov.	2*
Virgilii Ep. et Conf., simplex. 27 Nov.	1*

Ratisbonæ, sumptibus et typis Fr. Pustet

Die 28 Novembris

S. Valentini

Episcopi et Confessoris

Simplex

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Lectio ii

Valentínus, vitæ sanctitáte insígnis, ab Océano ad Bátava óppidum, nunc Passávium nuncupátum, venit. Ubi genti a vero Dei cultu aliénæ verbum vitæ prædicatúrus, Romam pétiit, ut ad prædicándi munus apostólica intervenfret auctóritas. Revérsus inde, et jussu Pontíficis pium opus aggréssus, ánimas, quarum salútem mire sitiébat, assídua verbi divíni prædicatióne Christo lucrári diu multúmque conátus est. Verum cum semen verbi salutíferi véluti in petram frustra spárgere vidéret, Romam rédiit, petens se ad álium pópulum faciéntem fructum mitti. Sed Valentínus a Pontífice in epíscopum creátus ac, ut Apóstoli exémplo adhuc ibídem prædicándo opportúne importúne instáret, remíssus est, facultáte ei data, post írritos tandem labóres ad álias gentes commigrándi. Cum ígitur sanctus epíscopus spíritu Dei fervens múneri suo íterum ardénter insísteret, et Bátavos ad viam veritátis tradúcere laboráret, illi Arianórum accedénte perfídia hanc prædicándi instántiam non feréntes, illum a fínibus suis excédere coegérunt. Quare vir Dei Rhǽtias péragrans, hóminum salúti ubíque prædicándo quam máxime studébat. Tandem in montána se cóntulit, ubi multis pro Christo perfúnctus labóribus, ingentíque animárum fructu reportáto, vitæ suæ términum prǽsciens, beáto fine quiévit, in vita et post mortem miráculis clarus. Ejus corpus in Majénsi castro in Alpibus sepúltum, ad Bátavam tandem, uti própriam sedem, unde vivens exsuláverat, honorífice translátum est.

Te Deum laudámus.

Die 22 Decembris

(d. a. ex 21 Decembris)

Beati Petri Canisii

Confessoris

Duplex Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut ejus exémplis et mónitis errántium corda ad salútem resipíscant, et fidélium mentes in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum.

Approbatio

Concordat cum Originalibus.

S. Hippolyti, die 9 Martii 1918

(L. S.) ✠ **Joannes** Episcopus

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 12 Martii 1918

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

In II Nocturno

Lectio iv

Petrus Canísius Noviómagi in Géldria natus est eo ipso anno, quo Luthérus in Germánia, apérta rebellióne, ab Ecclésia descívit, et Ignátius de Loyóla in Hispánia, terréstri milítia abdicáta, ad præliándum prǽlia Dómini se cóntulit; Deo nimírum portendénte, quos ille posthac adversários, quem sacræ milítiæ ducem esset habitúrus. Colóniæ Agrippínæ, quo studiórum causa concésserat, primus Germanórum Societáti Jesu nomen dedit; et sacerdótio auctus, summo pópuli Coloniénsis cleríque consénsu, ad Geórgium Pontíficem Leodiénsium et ad Cárolum quintum augústum advérsus Hermánnum archiepíscopum, qui palam hǽresim præ se ferébat, legátus est. Ob præcláram sapiéntiam et explorátum rerum usum a Cardináli Augustáno et a pontifíciis legátis magnópere expetítus, semel atque íterum Concílio Tridentíno intérfuit; cujus étiam decréta ex auctoritáte Pii quarti Pontíficis máximi rite per Germániam promulgánda, et in morem inducénda curávit. A Paulo quarto ad convéntum Petricoviénsem ire jussus, aliísque a Gregório décimo tértio legatiónibus obeúndis adhíbitus, álacri semper et numquam fracto a difficultátibus ánimo, gravíssima religiónis negótia tractánda suscépit, ac vel inter præséntia vitæ discrímina ad éxitum felíciter perdúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Divínæ glóriæ amplificándæ inténtus, dici vix potest, quot per annos ámplius quadragínta labóres suscéperit, ærumnásque pertúlerit. Cunctis fere Germániæ regiónibus peragrátis, omne hóminum genus salubérrimis institútis públice et privátim excóluit: plurésque urbes atque províncias vel ab hæréseos contagióne deféndit, vel hǽresi inféctas cathólicæ fídei restítuit. In Ratisbonénsi et in Augustáno convéntu impérii próceres ad jura Ecclésiæ tuénda et mores populórum emendándos excitávit: in Vormatiénsi insolescéntes impietátis magístros ad siléntium adégit. Collégium Germánicum, quod Romæ constitútum fúerat, omni ope provéhere atque amplificáre stúduit; in academíis sacrárum humanarúmque disciplinárum stúdia, miserándum in modum collápsa, instaurávit; contra

et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Dénique óbitus sui diem longe ante prǽsciens, cum tríduo láteris dolóre laboráret, nocte convocátis ad ósculum frátribus, eósdem ad humilitátis, puritátis, omnísque sanctitátis stúdium adhortátus, Sacraménto Communiónis accépto, Crucis signo exténsa manu se múniens, cum Psalmus: Laudáte Dóminum in Sanctis ejus, quem ipse inchoáverat, canerétur, sub illo versículo: Omnis spíritus laudet Dóminum, sexto Idus Januárii spíritum Deo réddidit. Sexénnio post, Normánnis, quod Severínus futúrum prædíxerat, in Itáliam migrántibus, beáti viri corpus, ut vivens monúerat, discípuli asportatúri, effósso sepúlchro, quod admirábilem odóris suavitátem exhalábat, illud plane íntegrum invenére. Quod comitántibus miráculis in Itáliam delátum, atque in Luculláno honorífice primo cónditum, deínde Neápolim translátum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum 1 loco.

PROPRIUM SANCTORUM

DIŒCESIS

SANCTI HIPPOLYTI

PARS ÆSTIVA

Die 8 Augusti

S. Altmanni

Episcopi et Confessoris

Duplex majus

Oratio

Deus, qui ad Ecclésiæ tuæ libertátem et decórem promovéndum, sanctum Altmánnum Confessórem tuum atque Pontíficem ánimi fortitúdine roborásti: ejus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia superántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Altmánnus in Saxóniæ parte, quæ póstea Westphália nomen accépit, claris paréntibus éditus est. Divínis et humánis lítteris excúltus, Paderbórnæ inter canónicos cooptátus, multos ibi annos scholas diréxit. Aquisgráni deínde canónicis præpósitus, Henríci tértii imperatóris simul capellánus fuit. Quo mórtuo piam Hierosólymæ peregrinatiónem, periculórum et insidiárum plenam, suscépit; a quo itínere revérsus, Passaviénsis diœcéseos præsul elígitur, quæ tum præter eam quæ nunc est Baváriæ partem, ad Austriam superiórem et inferiórem extendebátur. Ubi, cum litterárum et religiónis fama esset conspícuus, summo cum cleri populíque plausu excípitur, atque a beáto Gebhárdo, Salisburgénsi archiepíscopo consecrátur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Hoc ígitur in múnere talis éxstitit veritátis doctor,

Ratisbonæ, sumptibus et typis Fr. Pustet

mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam, advérsus malítiam increpántem: Noli æmulári in malignántibus, quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine,* Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Coronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia: mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit: et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat: Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine, ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta: Quid mihi est in cælo, et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus:* Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Comment. in Matth., can. 10, post medium

Dóminus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet: et ea, quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas: quia dies judícii nulla hæc fuísse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et

Approbatio

Concordat cum Originalibus.

S. Hippolyti, die 9 Martii 1918

(L. S.) ✠ **Joannes** Episcopus

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 12 Martii 1918

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

ut simul virtútis clarum se præbéret exémplum. Assíduus in oratiónibus, vigíliis, jejúniis, erga páuperes summe benéficus et liberális. Divíni cultus studiósus ædes sacras partim cóndidit, partim instaurávit. Præcípue vero Ecclésiæ, Christi sponsæ, decórem promóvit, lapsam sacri órdinis disciplínam restituéndo, et reguláren inter cœnobítas observántiam procurándo. Duo insígnia cœnóbia fundávit, álterum beáti Nicolái prope Passáviam ad Œnum, álterum beátæ Maríæ in monte Gottvich ad Danúbium. Aliórum étiam monasteriórum fundatióni vel restauratióni cooperátus est, ita ut per eum quasi novus religiósæ vitæ splendor passim diffúndi viderétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Pari idem constántia pro Ecclésiæ libertáte contra ímpios Henríci quarti ausus laborávit. Hinc persecutiónibus impetítus, episcopátu cédere coáctus, atque in exsílium pulsus, primum in pátriam se cóntulit, deínde Romam venit, ubi a sancto Gregório Pontífice est humaníssime recéptus. Cum vero mox in conséssu Cardináliium de restituénda ei sede agerétur, mira colúmbæ super ejus caput volitántis apparitióne dénuo divínitus commendári Pátribus visus est. Quare in diœcésim suam a Papa remíttitur, atque in Sedis apostólicæ legatióne confirmátur. Sed iníqua malignántium factióne íterum Passávia pulsus, in ea diœcéseos parte, quæ in Leopóldi Austríaci et Ottocári Styrénsis ditióne erat, clerum et pópulum sanctíssime gubernávit. Ibi tandem in villa vulgo Zeiselmauer dicta transáctis in Episcopátu annis vigínti sex, a labóre et certámine ad réquiem et prǽmia vocátur sexto Idus Augústi, anno salútis millésimo nonagésimo primo. Cujus sacrum corpus Gottvícum translátum a Thiemone archiepíscopo Salisburgénsi, glorióso póstea Christi mártyre, ibídem honorífice cónditum, pia usque fidélium veneratióne cólitur. Viri vero sanctitátem multis miráculis, ut memóriæ próditum est, Deus insígniter commendávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangel. Vigiláte, quia nescítis, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

Die 13 Augusti

S. Hippolyti Martyris, Patroni principalis Civitatis ac Diœcesis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Mártyris tui Hippólyti veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimor. Martyrum cum ℟℟. de Communi unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Hippólytus, a sancto Lauréntio baptizátus, domi suæ dum Eucharístiam súmeret comprehénsus, et ad Valeriánum imperatórem addúctus, ab eo de suæ religiónis professióne interrogátus, líbere se Christiánum proféssus est. Quam ob rem fústibus cǽditur; quibus in verbéribus cum ejus fides constántior inveniréutur, munéribus et honórum promíssis tentátur. Quæ cum ómnia frustra diceréntur, prǽfecto occidéndus tráditur. Qui domum Hippólyti véniens, ut ejus facultátes publicáret, totam famíliam christiánam esse cognóscit: atque iis a christiána fide frustra detérritis, primum plumbátis cæsa Concórdia, Hippólyti nutríce, quæ céteros confirmábat, réliquos extra portam Tiburtínam occídi jubet. Hippólytus indómitis equis raptátus per loca tríbulis et cárduis cónsita, laceráto córpore spíritum Deo réddidit, unáque cum réliquis a Justíno presbýtero ad agrum Veránum sepúltus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Lectio v

Triumphális beáti Mártyris Hippólyti dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit: cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue considerånda sunt: induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur: patiéntia

Index alphabeticus

	pag.
Altmanni Ep. et Conf., duplex majus. 8 Aug.	1*
Hippolyti Mart., Patroni principalis Civitatis ac Diœcesis, dupl. I cl. cum Octava communi. 13 Aug.	3*
— — De II die infra Octavam, semiduplex. 14 Aug.	5*
— — Octava, duplex majus. 20 Aug.	6*

Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II Nocturno de Communi unius Martyris 2 loco, in III Nocturno item de Communi 3 loco.

IX Lectio de Vigilia Assumptionis et fit ejus Commemoratio in Laudibus.

Die 20 Augusti

Octava S. Hippolyti Mart.

Duplex majus

Omnia ut infra Octavam præter hic notata.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 44 de Sanct., circ. med.

Lectio iv

Patiénter permíttunt ægróti, se a médicis secári, uri, et váriis amaritúdinum confectiónibus anxiári, ut temporáli tandem restituántur sanitáti: quanto magis vir beátus longanímiter tolerávit omnem acerbitátem tormentórum temporálium, ut coronarétur in misericórdia et miseratiónibus, et in bonis satiarétur desidérium suum? In torculári ítaque conculcári vóluit, ut tamquam uva matúra in vinum defíceret, et vinum malórum granatórum dilécto suo propináret, quo mentes religiósæ ebriátæ, sciunt utíliter terréna conculcáre, et ad ætérna irretórtis óculis anheláre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

Qui ergo in tirocínio suo mundánas contémpsit divítias, qui corporáles étiam refrenávit illécebras, qui in provéctu milítiæ suæ multas est perpéssus injúrias, in perfectióne sacrifícii nil sibi resérvans, seípsum óbtulit holocáustum, bibens illum cálicem pretiósum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectiónis sibi prius ab invitatóre suo víderat appósitum. Cujus mors quantumcúmque videátur in conspéctu reprobórum despicábilis, in óculis tamen ejus est pretiósa, qui in Sanctis suis est mirábilis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Ipse enim primo vocávit mílitem suum, ipse justificávit, ipse magnificávit; ipse dedit ei pugnáre, ipse dedit et víncere. Longe est dissímilis hæc milítia mundánæ milítiæ, in qua victóres existimántur, qui, quod male desíderant, assequúntur: qui lætántur, cum malefécerint, et exsúltant in rebus péssimis. In Christiáno ergo agóne manifésta est pugna, occúlta victória, secúndum quod ex persóna mártyrum clamat Psalmísta: Da nobis auxílium de tribulatióne, quia vana est salus hóminis: in Deo faciémus virtútem. Tamquam si dícerent: Victória nostra, glória nostra intus est, non foris est: foris despécti, intus dilécti.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus; et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 7 in Lucam, cap. 12

Si tanta est Dei étiam ætérna majéstas, ut unus ex passéribus, aut nostrórum númerus capillórum præter sciéntiam Dei non sit; quam indígnum est æstimáre, quod fidélium corda Dóminus aut ignóret aut spernat, qui vilióra cognóscat? Fortásse dicat áliquis: Quómodo Apóstolus dixit: Numquid de bobus cura est Deo; cum útique bos pássere pretiósior sit? Sed áliud est cura, áliud sciéntia. Dénique númerus capillórum non in actu computatiónis, sed in facilitáte cognitiónis accípitur.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii

Non enim sollícitam Deus curæ numerántis inténdit excúbiam, sed, cui cógnita sunt ómnia, quasi numeráta sunt ómnia. Bene tamen numeráti dicúntur, quia illa, quæ vólumus serváre, numerámus. Póssumus tamen hic discútere áliquod intelligéntiæ spirituális arcánum, præsértim cum hoc videátur absúrdum, ut hómines non pótius homínibus, quam passéribus comparéntur. Unde bene Matthæus duos pásseres pósuit, corpus animámque signíficans, quó-

niam caro quoque, si consén-tiens Dei legi, et éxuens se lege peccáti, in natúram ánimæ sénsuum puritáte transíerit, alis ad cælum spirituálibus elevátur.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Pro S. Bernardo Conf. et Eccl. Doct.:

Lectio ix

Bernárdus, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, usque a puerítia castitátem diligentíssime cóluit. Ætáte duórum et vigínti annórum, monastérium Cisterciénse, unde hujus nóminis ordo incépit, ingréssus, fratres quoque suos aliósque multos addúxit ad eámdem religiónem suscipiéndam. In vigíliis et oratiónibus mirífice se exercébat. Elucébat in eo humílitas, misericórdia, benígnitas, prudéntia, et assíduum cæléstia meditándi stúdium. Factus abbas Claravallénsis, multis in locis ædificávit monastéria, ubi præclára ejus institútio ac disciplína diu víguit. Multa prætérea scripsit, in quibus appáret, eum doctrína pótius divínitus trádita quam labóre comparáta instrúctum fuísse. Exorátus a magnis princípibus de eórum componéndis controvérsiis et de ecclesiásticis rebus constituéndis, sæpius in Itáliam venit. Innocéntium secúndum Pontíficem máximum in confutándo schísmate Petri Leónis egrégie adjúvit. Tres et sexagínta annos natus, óptime de Ecclésia méritus, obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse, sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine: ut quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis apostólicæ revelándum, non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix

Nolíte timére eos, qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor: quando pro natúræ suæ, atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit: negatúrum se eum Patri in cælis, qui se homínibus in terra negásset; eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cælis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus.

Die 14 Augusti

De II die infra Octavam S. Hippolyti

Semiduplex

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die ut in Psalterio, reliqua ut in Festo, præter

PROPRIUM SANCTORUM
DIŒCESIS
SANCTI HIPPOLYTI
PARS AUTUMNALIS

Die 13 Octobris

S. Colomanni Martyris

Duplex

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut intercedénte beáto Colománno Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Colománnus, régio Scotórum génere ortus, propter Christum terréna despíciens, totum se pietáti trádidit. Cumque Hierosólymam, ut sacra inviseret loca, proféctus esset, in réditu per Pannóniam superiórem iter agens, ab ímpiis homínibus captus, variísque torméntis vexátus, palo tandem alligátus occíditur. Cujus corpus cum annum íntegrum ac sex menses ita suspénsum Henrícus, Austriæ márchio, permansísse, atque áltero sequénti anno terræ cónditum non contabuísse accepísset, summa reveréntia effódi, et in Mellicénsi monastério perhonorífice recóndi vóluit. Palus ipse, cui alligátus vir Dei martýrium subíerat, in sanctitátis et innocéntiæ ipsíus testificatiónem insígni mirácula reflóruit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio V et VI Príncipes persecúti sunt, de Communi unius Martyris 2 loco.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Si quis vult post me veníre, de Communi unius Mart. 2 loco.

Index alphabeticus

	pag.
Colomanni Mart., duplex. 13 Oct.	1*
Leopoldi Marchionis, Patroni principalis Austriæ, Conf., duplex I classis cum Octava communi. 15 Nov.	2*
— — De II die infra Octavam, semiduplex. 16 Nov.	5*
— — Octava, duplex majus. 22 Nov.	5*
Valentini Ep. et Conf., simplex. 28 Nov.	7*
Virgilii Ep. et Conf., simplex. 27 Nov.	6*
Wolfgangi Ep. et Conf. Commemoratio. 31 Oct.	2*

Approbatio

Concordat cum Originalibus.

S. Hippolyti, die 9 Martii 1918

(L. S.) ✠ **Joannes** Episcopus

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 12 Martii 1918

Dr. Scheglmann Vic. Gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Fr. Pustet

Homilía sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Comment. in Luc.

Homo nóbilis ille est, cui cæcus supra clamábat: Fili David, miserére mei. Longínqua régio Ecclésia est ex Géntibus, de qua eídem hómini nóbili, qui lóquitur: Ego autem constitútus sum Rex ab eo, dícitur a Patre: Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, et possessiónem tuam términos terræ: quæ vidélicet heréditas ac posséssio bifária ratióne régio longínqua vocátur; vel quia a fínibus terræ clamat ad Dóminum; vel quia longe est a peccatóribus salus: et cum Deus ubíque sit præsens, longe tamen ab eórum sensu, qui idóla colunt, Deus verus abest.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas. Denárius númerus ad legem pértinet propter Decálogum. Vocat ítaque paterfamílias decem servos, quia éligit discípulos per lítteram legis imbútos. Dat illis decem mnas, quia legis dicta spirituáliter intelligénda revélat. Post passiónem quippe resurrectionémque suam apéruit illis sensum, ut intellígerent Scriptúras. Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appénditur, et omnis Scriptúræ sermo, qui vitæ cæléstis perfectiónem súggerit, quasi número centenárii póndere fulgéscit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Negotiámini, dum vénio. Verba, inquit, legis ac Prophetárum mýstica interpretatióne discússa pópulis offérte, atque ab eis fídei confessiónem morúmque probitátem recípite. Juxta quod Psalmísta suis auditóribus præcipit, dicens: Súmite psalmum et date týmpanum. Hoc est, laudem prædicatiónis in cordis intentióne percípite, et devotiónem óperis in carnis castigatióne réddite. Týmpanum quippe est pellis in ligno exténta; pellis vero in ligno exténta caro est nostra, ad exémplum Domínicæ Crucis afflícta.

Te Deum laudámus.

Die 16 Novembris

De II die infra Octavam S. Leopoldi Marchionis,

Confessoris

Semiduplex

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II Nocturno de Communi Conf. non Pont. 1 loco, in III Nocturno de Festo.

Die 22 Novembris

Octava S. Leopoldi Marchionis,

Confessoris

Duplex majus

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 2 de S. Victore

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cælum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis afféctum et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus: exsultémus, et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus: quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Leopóldus pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória Sanctórum. Hódie despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles débita jam suavitáte et securitáte quiétus: secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam

Pro S. Eduardo Rege, Conf.:

Lectio ix

Eduárdus, cognoménto Confĕssor, nepos sancti Eduárdi Regis et Mártyris, Anglo-Sáxonum regum últimus, decénnis a Danis Angliam vastántibus quæsítus ad necem, exsuláre cógitur apud avúnculum Normánniæ ducem, ubi morum innocéntia ómnibus admiratióni fuit. Exstínctis mox tyránnis, qui frátribus suis vitam et regnum eripúerant, revocátur in pátriam, ubi ad hostílium irárum delénda vestígia totum se convértit, a sacris exórsus templis. Prophetíæ dono illústris, de Angliæ futúro statu multa cǽlitus prævídit. Joánnem Evangelístam mirífice cóluit. Ipso ab Evangelísta prædícto die piíssime óbiit, Nonis vidélicet Januárii, anno salútis millésimo sexagésimo sexto. Quem Alexánder Papa tértius Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Die 31 Octobris

Commemoratio
S. Wolfgangi Ep. et Conf.

Oratio

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti: præsta, quǽsumus; ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Die 15 Novembris

S. Leopoldi Marchionis,
Patroni principalis Austriæ, Confessoris

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter ea, quæ hic habentur propria:

Oratio

Deus, qui beátum Leopóldum a sǽculi curis ad cæléstem glóriam transvexísti: concéde, quǽsumus; ita nos per hæc temporália pertransíre, ut ætérnæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Leopóldus, Austriæ princeps, ab insígni in Deum pietáte Pius cognominátus, in primo ætátis flore ea virtútis sémina concépit, quæ annórum progréssu in singulárem vitæ sanctitátem excrevérunt. Relucébant in adolescéntia cum Dei timóre summa vitæ intégritas, continéntia et humílitas; in provectióri ætáte justítia, misericórdia, sapiéntia, religiónis cultus præcípuus. Patre defúncto, curis licet conjugálibus et Principátus sollicitúdine præpedítus, pietátis et misericórdiæ múnera diligén-

ter obíbat; ínopes fovébat, oppréssos sublevábat, lassos roborábat. Dénique inter tot aulæ inquinaménta immaculátum se ab hoc sǽculo custodiébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Ecclésiæ Románæ Pontífices tanta veneratióne prosecútus est, ut ab Innocéntio secúndo sancti Petri fílius merúerit appellári. In clerum virósque religiósos benéficus, duo monastéria celebérrima, Claustro-Neoburgénse, et sanctæ Crucis in Valle Nemorósa constrúxit, et amplíssime dotávit. Mellicénse quoque, a se instaurátum, magnis súmptibus et cénsibus illustrávit. Demum cum annis quadragínta Austriæ Principátum laudabíliter gubernásset, anno supra millésimum centésimo trigésimo sexto vita sanctíssime functus, sacris Ecclésiæ Sacraméntis munítus, ab hoc mundo ad cæléstem glóriam translátus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Ejus corpus ad Claustrum-Neobúrgi cónditum innúmeris cœpit clarére miráculis, quibus Deus tantam viri sanctitátem vóluit maniféstam. Namque ad ejus invocatiónem mórtui suscitáti, cæci illumináti, surdi audítum, muti loquélam, claudi gressum, captívi libertátem, váriis morbis oppréssi sanitátem sunt consecúti. His claríssimis sanctimóniæ documéntis rite compértis, Innocéntius octávus Sanctórum catálogo eum adscrípsit. Ejus sacra ossa e túmulo ab Imperatóre Maximiliáno eleváta, in eádem ecclésia honorificéntius repósita, débita colúntur veneratióne.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni. Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti: réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spirituáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Leopólde, in hoc loco afflictiónis, et hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

Die 27 Novembris

S. Virgilii Ep. et Conf.

Simplex

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Virgílii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Lectio iii

Virgílius, in Hibérnia nóbili génere ortus, ab infántia litterárum stúdium cum omni pietátis offício sédulo conjúngens, cunctos ad sui admiratiónem traducébat. In Fránciam deínde ad increméntum fídei proféctus, Pipíno regi caríssimus fuit. Cumque jam virtúte et sciéntia fulgens tamquam lucérna ardens et lucens candelábro imponéndus viderétur, Salisburgénsis Ecclésiæ epíscopus creátur; quo in múnere táliter se gessit, ut óptimi paréntis loco ab ómnibus haberétur. Basílicam Salisburgénsem a fundaméntis magnis expénsis, nec sine miráculo exstrúxit (cum non plus pecuniárum e pelvi ad solvéndam mercédem expósita operárii possent accípere, quam cujúsque labor et ópera postulábat) ac in eam sancti Rupérti antecessóris

sui relíquias honorífice tránstulit. Virgílius tandem assíduis labóribus senióque conféctus, cum Ecclésiam sibi créditam summa cum pietátis laude paríque animárum fructu administrásset, misso in Carínthiam Modésto, exímia sanctitáte epíscopo, in cæli sedes recípitur. Quem miráculis clarum Gregórius nonus in Sanctórum númerum rétulit. Ejus corpus in ecclésia Salisburgénsi a se constrúcta honorífice asservátur. Te Deum.

Die 28 Novembris

S. Valentini Ep. et Conf.

Simplex

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Lectio iii

Valentínus, vitæ sanctitáte insígnis, ab Océano ad Bátava óppidum, nunc Passávium nuncupátum venit. Ubi genti a vero Dei cultu aliénæ verbum vitæ prædicatúrus, Romam pétiit, ut ad prædicándi munus apostólica interveníret auctóritas. Revérsus inde, et jussu Pontíficis pium opus aggréssus, ánimas, quárum salútem mire sitiébat, assídua verbi divíni prædicatióne Christo lucrári diu multúmque conátus est. Verum cum semen verbi salutíferi véluti in petram frustra spárgere vidéret, Romam rédiit, petens, se ad álium pópulum faciéntem fructum mitti. Sed Valentínus a Pontífice in epíscopum creátus ac, ut Apóstoli exémplo adhuc ibídem prædicándo opportúne importúne instáret, remíssus est, facultáte ei data, post írritos tandem labóres ad álias gentes commigrándi. Cum ígitur sanctus epíscopus spíritu Dei fervens múneri suo íterum ardénter insísteret, et Bátavos ad viam veritátis tradúcere laboráret, illi Arianórum accedénte perfídia hanc prædicándi instántiam non feréntes, illum a fínibus suis excédere coegérunt. Quare vir Dei Rhǽtias péragrans, hóminum salúti ubíque prædicándo quam máxime studébat. Tandem in montána se cóntulit, ubi multis pro Christo perfúnctus labóribus, ingentíque animárum fructu reportáto, vitæ suæ términum prǽsciens, beáto fine quiévit, in vita et post mortem miráculis clarus. Ejus corpus in Majénsi castro in Alpibus sepúltum, ad Bátavam tandem, uti própriam sedem, unde vivens exsuláverat, honorífice translátum est. Te Deum.